5

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ARTHRITIDE.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. ALBERTI SCHULTENS,

S. S. THEOL. DOCT. ET LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORIS, COLLEGII THEOLOG. ILLUSTR. AC PRÆPOT. ORDINUM HOLL. ET WESTFRIS. REGENTIS. MSS. ORIENTALIUM LEG. WARNER. INTERPRETIS.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
& *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submitit

ALARDUS VAN DE VELD, ZUTPHANIENSIS,

Ad diem 8. *Junii* 1739. *Horâ locoque solitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC, 1739.

DEO,

PATRIÆ,

PARENTI,

CONSANGUINEIS,

PRÆCEPTORIBUS,

ATQUE

AMICIS.

Hanc Dissertationem, eâ, quâ par est, reverentiâ,


D. D. D.

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ARTHRITIDE.

I.



bſtruſorum morborum, quibus Homines non rarò miſerrime affliguntur, princeps Arthritis, affectus quidem diuturnus, ſeu chronicus, verum acutiſſimis diſcrucians tormentis, omni adhibito auxilio pertinaciſſime reſiſtens, uno tempore furens, quieſcens altero; & dum maxime ſævit, vires manifeſtat patienti, indolem utplurimum occultat Medico indaganti. Tot inſignium Medicorum ingenia ab Hippocrate ad noſtra uſque tempora torſit formidoloſa hæc jucundæ vitæ inſidiatrix, nulli cognita ex integro. Temerarius videri poſſem aſſumendo pro Specimine Inaugurali affectum cognitu difficilem, tractatu durum, eventu triſtem: facile nihilominus excuſandus

sum, eo quod morbus ipse, quantusque tyrannus sit, æque ac alii indicet sui ablationem, ægrique ubivis obvii lenimen efflagitent; frequentius Juniorum, quam Seniorum opem implorent, horum torvum contra pertinaciam morbi vultum aversantes, illorum alacre audendi conamen approbantes: Audaces fortuna juvat. Placuit igitur, quantum virium tenuitas permittit, in naturam hujus morbi inquirere, quæ subsint causæ, quis agendi modus, quis eventus, & quibus remediis tolli, aut cicurari possit. *Medici partium est, eniti ad reperiendam sanitatem.* Cels. *L. VII. C.* 3.

§. II.

Definitiones hujus morbi apud Auctores variant, & quo majori arte videntur fabricatæ, eo minus genium morbi explicant. Prudentiores ex signis eam definiverunt, cum hæc causis notiora sint; hinc præter morbi præsentiam vix quidquam de ejus natura manifestant. Qui a materia tartarea, sulphurea, mercuriali, vitriolica definitionem stabilire contendunt, demonstrare prius debuissent ejusmodi materias in œconomia animali præsentes esse, cum verò eorum asserta fundamento careant, iis non immorandum existimamus. Simpliciter cum Celso dicimus esse dolorem articulorum.

§. III.

De partibus affectis non conveniunt Auctores, saltem partes illæ afficiuntur, quæ exquisito sensu gaudent, ut periostea, tendines, nervi, membranæ, ligamenta, in quibus humorum transitus difficilior; nec cartilagines excludimus, cum tractu temporis in gypseam quasi materiam solvantur; Operose has partes examinat Bohnius, varia argumenta, & casus in cadaveribus hoc morbo extinctorum adducit, ut apud eum videre est. Posito partes affectas esse optime cognitas, restat scire, & exponere modum, quo causa morbi agat, & cujus indolis hæc sit, quod profecto difficillimum cuique videri debet, nisi fig-

figmenta adducendo acquiescere velit; quoad modum commune refugium est dicere: *stimulando*. Optimus certe foret terminus, si unum tantummodo indicaret; at hic multiplex est: verum alia stimulant premendo, alia distrahendo, alia solvendo, alia leniter, aut acriter irritando, alia aliis modis molestam dolorificamque perceptionem, nervos in heteroclytos motus concitando, efficiunt. Manifestum proinde diversas quoque causas ad stimulandum concurrere, quas, ut de stimulo judicium ferri possit, investigare, invenire, & demonstrare oportet.

§. IV.

In pressionem, ut & distractionem inquirere supervacaneum arbitramur, nam quantumvis humorum motus auctus est, omnia vasa corporis distendens, dolorem articulis non infert, potius sensum lassitudinis, & motus impotentiam efficit; sola igitur irritantia, & solutionem molientia, non quanto, sed potius quali peccantia stimulum hunc producere videntur. Hoc admisso brevior erit via inquirendi in veras causas, tam efficientes proximas, quam antecedentes.

§. V.

Diximus §. IV. in quali peccantia stimulando, aut solutionem moliendo Arthritidem efficere: in qualitatem ergo inquirendum, ut inveniatur remedium oppositum, & modus illud applicandi; cum vero hic morbus vario schemate tragœdiam ludat, differentiæ, & signa sunt præmittenda, quorum rationes, ex ipsa præternaturali humorum qualitate postea dicenda, exponemus.

§. VI.

Ratione causæ dividitur primo in Idiopathicam, Protopathicam, Deuteropathicam, Hæreditariam, Connatam, Acquisitam.

§. VII.

Idiopathica eſt, quando humores languente motu animali, ut in vita ſedentaria, in perioſteo, tendinibus &c. ſtagnantes, corrupti, irritationem, dolorem creant; hac ratione quies ad concretionem fluidorum, & ſeceſſum in partes non parum contribuit, unde torpor omnium actionum, & fœcunda multorum morborum, & præcipue hujus affectus, origo exiſtit.

§. VIII.

Protopathica eſt, dum humores, a ſtatu naturali degenerati, ad anguſtos harum partium canales motu circumductorio deferuntur, ibi loci tranſire non potentes, nervos afficiendo dolorem inducunt.

§. IX.

Deuteropathica eſt, cum corrupti humores, ex loco affecto ad dictos canales delati, novum ibi morbum excitent, ut poſt inflammationes, ſuppurationes, infarctus viſcerum, febres chronicas, obſervante Hippocrate, contingere ſolet: *Quibus febres longæ, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt. Aph. 44. Sect. IV.*

§. X.

Hæreditaria eſt, quando a Patre, vel Matre hic morbus in Filios, vel Nepotes, Patre libero exiſtente, propagatur, juxta vulgare diſtichum:

Sic patris in natos abeunt cum ſemine morbi,
Propagatque ſuum mater amara malum.

Ratio hujus fundatur in defectu quodam ſingulari ad perficiendos

dos

dos bonos humores. Qui feminium morbificum dicunt, nil explicant; morbus enim non eft creatura femine propaganda. Qui præter deficiens requifitum ad actionem laudabiles humores parandi alias caufas adftruunt, minus medicè loqui videntur.

§. X I.

Connata eft, fi Mater cæterum fana, tempore geftationis errore diætæ, ut nimio otio, &c. in hunc affectum incidat, & eum fœtui, communem cum Matre vitam agenti, communicet, ut fic Arthriticus nafcatur, aut matura ætate ea corripiatur, dum vis vitæ major, & canales folidiores facti magis refiftunt; licet id rarius contingat, fieri verò poffe ratio perfuadet, & aliquando factum referunt Practici.

§. X I I.

Acquifita eft, quæ poft nativitatem oritur a vitio commiffo in fex rebus, quas Medici vocant nonnaturales.

§. X I I I.

Ratione fubjecti utrumque fexum data occafione adoritur, nulla quoque ætas ab ea fecura, quanquam Hippocrates dicat *Aph.* 28. *Sect. VI.* Eunuchos non laborare Podagra: nec Mulieres, nifi menfes ipfis defecerint, *Aph.* 29. *Sect. eadem*: nec Pueros ante Veneris ufum, *Aph.* 30. *Sect. allegata.* Nihilominus obfervationes docent, ut a Cl. Domino Oofterdyk Schacht, longo rerum ufu expertiffimo Profeffore meo ad cineres colendo, in Collegio Practico audivi, non tantum pueros ante Veneris ufum, verum teneros infantes hoc morbo laboraffe; item fœminas quibus menftrua legitimè proceſſerunt.

Forte conftitutio aëris, aquæ & loci, in quo Hipp. degit, item ratio victus in caufa fuêre, quod Hipp. Eunuchos, Mulieres, Pueros exceperit. Frequentius tamen accidere folet poft trigefimum annum, notante Clar. Boerhaavio. in aureo fuo

libro *de cognoscendis, & curandis morbis*, *Aph.* 1255.

§. XIV.

Quamquam ratione subjecti nulla ætas immunis sit, frequentius tamen adoritur adultos, quàm pueros, frequentius adhuc senes, quàm adultos; si senes corripiat, præclare notat Sydenham, eam rarò fore periodicam, eo quod vita citius deficiat, quàm morbus ad statum pervenire possit. Accedit, quod si senes semel invaserit, nunquam eos perfecte sanos relinquat ob vires vitæ ex se jam deficientes, ipso morbo magna ex parte consumptas. Præterea materia Arthritica in iis semel fixata, ob vitæ defectum, nec movetur, nec subigitur, ut ad alia emunctoria reducatur, & eliminetur, quod non ita in juvenibus obtinet; raro senex quin conqueratur de doloribus juncturarum, non quod ipsa Arthritis in iis præsto sit, sed quod gluten illud pingue Haversianum, ossium extremorum in articulis lubricans, deficiat, & ligamenta exsiccata, & ad motum inepta reddita fuerint.

§. XV.

Ratione tempestatis ut plurimum incidit, redit tempore verno, & autumnali, quoniam hisce temporibus, maximè vere, humores moventur: *Vere calor redit ossibus.* Virgil. Autumno mutatio aëris insolita & fructus horæi, ut causæ procatharcticæ, prædisponentem in actum deducunt. Aëre pluvioso existente Arthritides contingere scribit Hipp. *Aph.* 16. *Sect.* III.

§. XVI.

Ratione indolis dividi solet in fixam, & vagam, hæc totam œconomiam animalem oberrans, nunc articulos pedum, nunc manuum, nunc coxas, humeros, spinam afficit: cæterum genibus magis infesta, lumbis, & coxendici, quandoque ce-

re-

rebrum, pulmones, vel alia viſcera diſcrucians; at ſi viſcera afficiat, potius Rheumatiſmus dicendus: nec alia videtur differentia Rheumatiſmum inter, & Arthritidem, niſi quod Rheumatiſmus ſit univerſalior, Arthritis modo circa juncturas quorumcunque artuum; dum materiæ Rheumaticæ ad has partes contingat fluxio, collectio, obſtructio propter anguſtias canalium, irritatio nervorum, roſio, dolor verbo Arthritis. Quænam autem materia Rheumatica ſit inferius inquiremus. Fixa verò eſt, quæ ſedem ſemel occupatam conſtanter ſervat.

§. XVII.

Ex dictis (§. XVI.) ſequitur Arthritidem eſſe ſpeciem Rheumatiſmi hinc inde in corpore oberrantis, *Chiragram*, ſeu dolorem articulorum manuum, *Gonagram* genu, *Podagram* pedum, Malum iſchiaticum oſſis coxendicis eſſe ſpecies ipſius Arthritidis, quæ ſuis nominibus partem affectam indicando ſe diſtinguunt. An Arthritis eſt vera inflammatio cum dolore, tumore, febre? An reſolutione terminatur? An in alios morbos abit?

§. XVIII.

Signa diagnoſtica, ſeu præſentia, ſive vaga, ſive fixa fuerit, ſunt ſequentia: percipitur tumor, rubor, dolor in juncturis ad motum invaleſcens, major vel minor, prout cauſa major, aut minor ſubeſt; febris continua ad 14. primos dies; urina prodit coloratior, quiete ſedimentum rubrum, & quaſi arenulis refertum deponens; alvus in principio conſtipata; appetitus imminutus. Vid. Boerh. *Aph.* 1261.

§. XIX.

Signa anamneſtica, quæ ut cauſas antecedentes conſideramus, ſunt primo aër nebuloſus, pluvioſus, auſtrinus, impurus ſi æger in eo diu degit, humi ſub dio per noctes dormi-

vit, hac occasione facile immedicabile Rheuma contrahitur, nisi mox artis auxilium adhibeatur; item calefacto corpori subito admissum frigus.

§. XX.

Alimenta nimis exquisite composita, ut varia eduliorum genera, aromatibus palato gratis scatentia, ex diversissimis conflata, quibus ars culinaria plus valet ad producendos morbos, quam Natura, & Medicina ad eos sanandos. *Tria mala eveniunt ob ciborum varietatem; nimium comeditur, minus coquitur, & minus perspiratur.* Sanct. Med. Stat. Sect. 3. Aph. LI. Veritatem aphorismi hujus quilibet affirmabit; grata varietas speciose ornata blanditur oculis; aromaticorum admixtorum effluvia ad olfactus organum pertingentia mentem ad appetendum excitant; gustus exquisitos sapores advertens, hi vero cum cito viam, in qua gratiam pariunt, transeant, ulterius percipere gestit; hinc impletio oritur, hinc ventriculo & toti naturæ bellum movetur, tam in quanto, quam in quali. Moles nimia excedit vires digestrices, inde cruditas, & morbi spontanei, &c. Qui causis hisce non positis minime nati fuissent, inquit idem Sanct. Sect. 3. Aph. LXXXIX. *Nemo incidet in morbum, si sedulo prævideat, ne cruditatibus laboret.* Aromata quæcunque oleum acre in se continent, quod in corpore nostro calore, humore, attritu solutum, in minimas moleculas divisum, liquidis nostris mixtum, in minores canales fertur, nervosas membranas in contractionem stimulat, quæ irritatæ promovent ingratum hospitem in canales minores, minoresque, donec inveniat resistentiam non superabilem, uti in membranis tensis, ut periosteo, vasis ligamentorum, &c hoc in loco destructor inimicus moratur, vires exerit, solutionem partium molitur; distensionem, tumorem, dolorem creat, febrem excitat, donec spontanea mutatione, blando vitalium humorum accessu, mobilis redditus, reliquæ massæ sanguineæ communicatus, ad emunctoria naturalia lege circuitus expellatur, ægerque pro tempore liberetur, aut ad alias partes feratur.

tur. Solutionem hanc quoque fieri concipimus, si vascula ultra tonum infarcta, elatere suo destituantur, ubi humorum a tergo appulsu incarcerata materia propellitur, & sic causa morbi expulsa, quiescit effectus, donec recuperato elatere rursus infarciantur eadem passura. Hæcce ratiocinia confirmat periodus, fixatio, vasculorum cum materia obstruente in calcem conversio; item juvamen ab aqua affusa, urina crassa, multa, alba reddita; dysenteria &c. Horum omnium rationes ex antedictis demonstrandas suscipimus, imo quænam sit materiæ indoles, & quis modus agendi, quod supra promisimus.

§. XXI.

Potus generosus affatim sumptus, ut vinum rhenanum &c; liquorum spirituosorum abusus vascula ante terminum indurans, humores coagulans, secretiones, & excretiones turbant.

§. XXII.

Victus austerus, vita laboriosa quoque miseros tenuioris fortunæ homines in hanc calamitatem præcipitant, sed hos moderata quies, bonum alimentum, vinum generosum, curare possunt, licet in ditioribus sint causæ morbi.

§. XXIII.

Vita desidiosa genio indulgens, somnus protractus, curioso victu utens, Arthritidem accersere solet.

§. XXIV.

Animi affectus tristes maxime corpus ad hunc morbum prædisponunt, humorum circuitum tardando, in hoc animi pathemate actio cordis adeo est imminuta, & resistentia solidorum adeo aucta, ut vix ad extremos fines humores vitales defe-

rantur, quod demonſtrat pallor, frigus, quo ſolent affici, emaciatio totius corporis, digeſtio fere abolita, ut quandoque immemores ſint neceſſitatis reficiendi corpus. Qui igitur a Parentibus Arthriticis nati ſunt, cane, & angue pejus fugiant triſtitiam. Effectibus hujus pathematis probe conſideratis, licet modum agendi ignoremus, facile concipimus ſtagnationes in vaſculis ligamentorum naſci poſſe, & ita cauſam proximam generari. In his conſiſtit ille character Podagricus Helmontianus, qui certe eſt ens phyſicum juxta tritum illud: *tangere, vel tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.*

§. X X V.

Evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ, ut hæmorrhagia narium; hæmorrhoïdes; purgationes menſtruæ in ſexu ſequiori; ſudor; perſpiratio ſanctoriana; urinæ parcior ſecretio; fluxus alvi quibusdam familiaris, non debilitans, præpoſtere cohibitus; maxime ad hunc morbum ſuſcipiendum corpus diſponunt. Hac ratione inductus videtur Hipp. dixiſſe, mulieres hoc morbo non laborare, niſi ex defectu menſium & 2. *Proreth. Fit autem hic morbus iis, quibus in pueritia, & juventute ſanguis ex naribus fluere deſiit.* Item evacuationes nimiæ naturam debilitantes, ut bonum ſuccum nutritium generari nequeat, ut venæ ſectiones nimis frequenter repetitæ; purgationes inconſultæ; & ſimilia, quæ privando corpus bonis humoribus varias Cacochymias inducunt, aſſumpta enim per actiones vaſorum, & viſcerum, humoreſque inquilinos in noſtram ſubſtantiam converti debent; ſi in his defectus ſit, cruditates generari neceſſe eſt, *Cauſarum princeps immoderata Venus*; ſi his reliquæ cauſæ hucuſque recenſitæ accedant, Arthritidem facile produci obſcurum non eſt. De diſpoſitione hæreditaria, & morbis prægreſſis ſuperius dictum, vid. Boerh. *Aph.* 1255. &*ſeq.*

§. X X V I.

Cauſa proxima eſt obſtructio vaſculorum minimorum arterioſo-

forum, nervoforum liquido crudo, tenaci, acri ftimulante ad tranfitum inepto, ipforum canalium anguftia errore diætæ acquifita, vel a difpofitione hæreditaria; talis cruditas debetur ingeftis, debilitati vifcerum, excretis, & retentis, ut fuo loco diximus.

§. XXVII.

Hic affectus, licet non lethalis, tamen adeo curatu difficilis femper habitus fuit, ut jam cecinerit Ovidius:

Tollere nodofam nefcit Medicina Podagram.

Et divus Senex contracto, & completo fermone, fiftit multorum annorum ferie per experientias confuetum morbi hujus exitum edoctus, 2. *Proreth.* de Podagra hæc habet: *quicunque aut fenes funt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnofe vivunt, ficcam alvum habentes, hi omnes fani fieri non poffunt humana ope, quantum ego novi; fanat hos quidem optime dyfenteria, fi fupervenerit, fed & aliæ eliquationes valde profunt, quæ ad infernos locos repunt; qui vero juvenis eft, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accurate vivit, & laboris amans eft, & alvum bonam habet ad obediendum pro ftudiorum ratione, hic fane Medicum intelligentem nactus fanari poterit.*

§. XXVIII.

In his §. XXVII. & antecedentibus, fparfim, fed ordine dictis, omnia continentur, quæ de Arthritide dici poffunt, tam quoad caufas, quàm quoad eventum, quantum ex optimis Auctoribus fcire & ratiocinio affequi potui; fi adjiciatur, quod etiam in juvenibus, licet, ut Hipp. fuadet, prudenti Medico obedire vellent, fanatio integra fperari nequeat, quatenus alteruter parens ante Podagra laboraverit, atque æger jam pridem paroxyfmum fit expertus; fi vero, prognatus licet a parente podagrico, nunquam ante hunc morbum paffus fit,

tunc

tunc bonis remediis interdum effici poſſe putamus, ut de futuro morbus avertatur: non enim neceſſario per hæreditatem transfertur, ut experientia docet; quanquam propagatio frequentior ſit.

§. XXIX.

Acquiſitam Arthritidem, ſeu Podagram ſanabilem eſſe, & ſanatam ſæpius fuiſſe aſſerunt Hartmannus, Helmontius, aliique plures; ſpei igitur, & medicamentis locus eſt.

§. XXX.

Dirus licet morbus ſit, vix tamen eo quiſquam interimitur, niſi ad extremum multorum annorum decurſu pervenerit, ubi paulatim ad interiora vitæ penetralia repit, actiones naturales lædit, tum integram ſpinam dorſi, & vertebras cervicis invadens, diu ſupervivere non permittit, natura demum debilitatur, ut materiam Arthriticam amplius ſubigere, & ad exteriora amandare nequeat, ſed in viſceribus, nerviſque relinquere cogatur, & ſic cauſa morbi cauſam vitæ ſuperat. Quidam dicunt ſe dolorem Arthriticum in ipſo ventriculo perſentiſcere, forte a conſenſu nervorum octavi paris alibi affectorum, hoc ſignum eſt mortis brevi ſubſecuturæ. An Arthritis eſt morbus nervorum? Juvantia nervina videntur id docere, qualia ſunt ſpiritus lavendulæ ſæpius rectificatus; albumen ovi recens conquaſſatum deglutitum.

§ XXXI.

Qui in provectiore ætate Podagrici fiunt, plerumque ſunt robuſtioris conſtitutionis virium naturæ nimium fidentes, vino, veneri indulgent, in errores diætæ ſuſque deque ruunt, maluntque diros dolores ferre, quam a perverſo vivendi more recedere, hi curari non poſſunt, inutili ſua libertate abutendo in feros annos doloribus torquentur, donec vita ſucumbat.

con-

Contra si morigeri sint, & prudentem Medicum nacti, si non penitus liberantur, saltem tolerabiliores experiuntur paroxysmos.

§. XXXII.

Non igitur tantum morbi magnitudo consideranda, ut Epirotes Philippus in amico Regis Antigoni hydropem consideravit, sed & animus ægri, ut nobilis Medicus Chrysippi discipulus animum ejusdem ægri pro signo mali eventus respexit; hic ex eo mortem, ille ex mediocri morbo salutem promisit. Mors intemperantiam secuta, confirmavit augurium hujus; mediocris morbi status fefellit prædictionem illius. vid. Cels. L. III. C. 21.

§. XXXIII.

Metum mortis non solet incutere cum potius senio, quàm Podagra confecti moriantur, nec ipsi ægri paroxysmum quot annis bis vel ter reducem, aliquoties experti mortem ex morbo formidant. Huc pertinet dictum Celsi: *Facile securus est aliquis in iis, quæ sæpe sine periculo evasit.* L. II. C. 2.

§. XXXIV.

Quæri posset: an Podagra conducit ad longævitatem? Huic quæstioni respondere potest: protractæ vitæ Podagricæ duæ potissimum sunt rationes. 1. Hi ut plurimum robustiores fuêre, & organa vitalia ut cor, pulmones, validiora habuêre, hinc laudabiles humores (qui optime medicamenti antipodagrici vice funguntur) confecêre; nunquam vitæ discrimen, si ejus causa sit fortior causa morbi; per vitam hic intelligimus omnes actiones superstites. 2. Solent vitare noxia, omnesque causas, quibus dolores exasperantur, experientia edocti, quæ lenimen adferunt. *Quisque experimentis in se credere debet*, inquit Cels. L. IV. C. 19. Et Ovid.

C *Qui*

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

§. XXXV.

Curatio hujus mali in eo potissimum consistit, ut remedia causis opponantur, quæ si cognoscantur, corrigi, & superari utcunque poterunt. Si vinum, venus, edulia, otium ansam dederint, assuescat potui aquoso, abstinentiæ, victui simplici, labori; si animi affectus; quies animi imperanda; si dispositio hæreditaria, & morbus nondum præsens; dictæ jam causæ evitentur, propositaque remedia adhibeantur; si evacuationes suppressæ morbum induxerint, debitis remediis revocentur, si viscerum debilitas ab inanitione, aut victu austero cum duris laboribus, protractis vigiliis, adhibeant potum generosum, alimenta boni succi, quantum res domestica ferre videtur; si vero senio vires confectæ, electo Medico dignum est nil agere, inquit Helmontius. *Natura repugnante nil Medicina proficit.* Cels. L. III. C. 1. Ne vero a Medico deseri videatur, blandum victum ei imperare, & quædam lenientia præscribere poterit, ast tractare senem Podagricum res est utplurimum Medico molestissima, hinc semper antipathia inter ipsos, & seniores Medicos. Si nunc Medicus ipse Podagricus sit, ut Sydenham, tanto pejor, nisi cum iis jocari amet.

§. XXXVI.

Causis igitur bene cognitis ipsa ægri constitutio, indoles, mores quoque perpendenda sunt: sunt quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quidquam in futurum præsagiri potest. Cels. L. II. C. 2. Dico, nec morbus hicce curari. Solicite proinde inquirendum, quid in ægro morbum exasperet, & a quo lenimen sentiat; a juvantibus enim, & nocentibus optima habetur indicatio, quod uni in salutem, sæpe alteri in mortem operatur; si acrimonia acida, ut a vinis aci-

acidis, conveniunt alcalia fixa, volatilia; si alcalina; antedicta erunt medela.

§. XXXVII.

Si scorbutus, aliique morbi viscerum, febres diuturnæ, Arthritidem induxerint, ii primo curandi, ut causa auferatur: si nosco causam, inquit Sydenham, par scio morbo remedium, nisi partes destructæ sint.

§. XXXVIII.

Ex generalibus præmissis ratio victus, reliquarumque rerum non naturalium usus intelligitur, in quibus potissima curatio consistit.

§. XXXIX.

Curam specialem, nescio quo molimine, instituunt Practici, minime inter se convenientes, unus hanc, alter aliam in ægro causam agnoscit. Felicem puto eum, qui ægrum ipsum, signa, symptomata, partis affectæ indolem, actionem pro auctore habeat, dummodo solida institutionum doctrina, qualem Cl. Boerh. dedit, imbutus fuerit, cui ipse incomparabilis vir praxin suam superstruxit, habuitque exitus longe felicissimos.

§. XL.

In cura igitur speciali primo consideranda ætas ipsius morbi: an modo periodicus sit, & quænam ægri constitutio, a qua causa, sive vaga, sive fixa fuerit Arthritis, parum refert, qui fixam curare noverit, vagam facile superabit, cum causa ejus mobilior sit, & leviori negotio ad universalia, aut particularia emunctoria duci queat. Sumamus pro exemplo Podagram, utpote affectum frequentiorem primario oriri solitam, si hanc quis sanare sciat, aut imminentem præcavere, Gonagram, ischiaticum Malum,

lum, Chiragram, & similes Rheumatismi proles & curare & præcavere poterit. Consideramus eam in statu adulto, ut ejus contra remedia pertinacia, horum verò contra illam vires innotescant luculentius. Quamquam Lucianus dominatricem contra omnium remediorum genus sævitiem comicè depingat, ut apud Sydenhamum videre est; minime tamen de subjugatione ejus desperandum; creavit Deus medicamentum, arma igitur dedit, quibus eam in & externe adoriemur. *Humanitatis est etiam desperatis ferre auxilium.* Solenander.

§. X L I.

Externa medicamenta commode ad duas classes reduci possunt: 1°. solutionem continui inducentia, ut V. S. scarificatio, cauteria; V. S. morbum non attingit, licet inflammatorius sit, nisi forte a nimia fluidorum copia ortum duxerit, recensque fuerit, ut excessu sublato appropriatis alimentis laudabilis chylus, & reliqui humores promtius, elaboratiusque conficiantur, quibus ipsa natura, utpote medicatrix optima obstrusos recessus penetret, causamque inibi latitantem moveat, subigat, exterminetque. Scarificationes, & Cauteria aut raro, aut nunquam in usum vocanda existimamus: profundius subsistit malum, quam ut novis his morbis inductis expugnetur, quin potius exasperetur irritata in sede sua dominatrix. Verum aliis nil proficientibus ad epispastica confugere quandoque licet, maxime in initio in pituitosis, in quibus lenta humorum circumductio, ut oriatur febricula primo in loco affecto, dein motus totius massæ sanguineæ acceleretur, ut hac ratione causa morbi mota expugnetur. Audax nihilominus consilium hoc atrox dolorum cruciatus fere semper repudiat, qui sui mitigationem indicat. Hanc medendi rationem, quî feret pars affecta, quæ levis plumæ in aëre volitantis attactum formidat? si massa humorum sit scorbutica, & malum altas radices egerit, inefficacia erunt prædicta omnia heroica remedia, tum nec pede amputato cessat dolor Podagricus, Vid. Helm. *Tract. de Podagra.*

§. XLII.

§. XLII.

Ad alteram classem medicamentorum externorum pertinent fomenta, cataplasmata, emplastra, balnea varia, inunctiones, stricturæ, quæ tum prosperos, tum sinistros effectus exerunt, ut experientiis multorum annorum decursu natis cognitum est, singula breviter attingemus.

§. XLIII.

Fomentorum simplicissimum, forte & efficacissimum est aqua tepida, quæ blanda nec ex se acrimoniam acquirens, dum vero ab effluviis actione vitæ eductis eam alterari contingat, facile renovari poterit: accedit quod exhalantium cum aqua communicatio præcaveri queat, si laxæ vesicæ inclusa parti applicetur; hocce fomento calorem diutius servante ad omnem partis superficiem accommodo, laxantur omnia ad intima usque. Opponi hic posse videtur, augeri inde causam morbi, in quantum causæ morbificæ majus spatium ad sui incrementum conceditur; argumentum hoc concedere tenemur, si fomes mali in sanguine scorbutico hæserit, ejusque indolis sit, ut per laxatos canales transire nequeat; si autem hoc in casu moles fluidorum insimul minuatur, cacochymia cognita corrigatur, tantum abest, ut quid sinistri ab hac applicatione metuamus; interna sunt prima indicantia, in quorum gratiam externa fiunt. Egregia est hujus medicamenti externe applicati securitas, nullus ab eo repulsus ad interiora, contra materiam Podagricam intempestivis applicatis ad vitalia cum summo vitæ discrimine repulsam ad suam sedem revocare, obsessa vitæ organa fatali hoste liberare potest quam promtissime solo igne, croco maritata; interne illum aggrediendo, externe ipsi locum parando. Dum vero ipsi impar videtur, & plena discriminis symptomata moram non concedunt, epispasticis femoribus, cruribus applicatis, potiunculis aromaticis, vino generoso ipso adjuvanda. Mala repulsionem subsequentia recenset Cl. Boerh. Aph. 1273. solent esse effectus, seu

epigeneses arcanorum antipodagricorum, quibus medicastri pro modico ægros reficiunt, extolluntque, ut lapsu graviori ruant. De fomentis compositis mucilaginosis nil dicam, hæc enim virtute aquæ penetrantis juvare solent; Spiritus lavendulæ in quo sapo venetus cum pauxillo opii solutus, digestus, linteis calidis applicatus sæpe mira præstat in mitiganda dolorum sævitie, est in eo solvens, roborans, sopiens, & blande stimulando pellens; Verum in similium applicatione materia morbi ad emunctoria invitanda est repetitis clysmatibus, eccoproticis purgantibus, itaque ductum ipsius naturæ imitamur, quæ solvendo, & evacuando sanat, observante Hipp.

§. XLIV.

Cataplasma primarium esto stercus bubulum ab animali adhuc calens simplex, aut pauco aceto calido imbutum, quo dolores Podagricos citissime mitigatos novimus: potentius agit, si vesica aqua calida laxe impleta superimponatur, hoc plus facit, quam ab ullo alio mihi cognito exspectari possit Oportet autem parti nudæ applicare, ut vapor animalis in eam simul agat; qui noverit ab effectu ejus efficaciam, non opus habet in viva animalia crudeli manu sævire, ut columbas, cuniculos vivos dissectos imponere.

§. XLV.

Emplastra quid in hoc affectu præstent, non determino, multi ea non ferunt; solent oscula exhalantia magis occludere quam aperire; forte de ladano quid exspectandum, sed secura magis sunt, quæ ante diximus.

§. XLVI.

Balnea sunt vel frigida, vel calida, calidorum vis in fomento explicata. Frigidorum aqua simplex immediate applicata, aut stillicidio ex alto usum habet, dum vasa ad materiam repel-

pellendam roborantur, quod maxima cum cautela fieri oportet, ne pericula Aph. Boerh. 1273. inducantur; in nascenti locum habent, minime in nodosa, & scorbutica, corrige fontem, & puri fluent rivi.

§. XLVII.

Inunctiones variæ sunt, quidam oleum terebinthinæ in quo camphora, & opium solutum partem affectam inungunt, sed caute cum opiatis mercandum. Consule Wedel. *de viribus opii in Arthritide.* Illud vero dicto modo applicatum urgente necessitate probamus, ne acerbitas dolorum alia inducat mala, ut convulsiones, pervigilium, quæ mala præcavere tenetur Medicus. Quantus eheu Medicus, qui sedare scit dolorem, clamat æger! Cæterum pinguia merito exulent, eo quod poros obstruant. Sincerius penetrantia iis præferenda, ut spiritus vini camphoratus. *Vidimus* inquit Wedelius opiolog. pag. 83. *a spiritu lumbricorum urinoso volatili sæpe in momento dolores Arthritidis vagæ conticuisse.* Idem in fixa obtinere potest. Oleum destillatum carannæ, tacamahacæ, succini, ex his fit linimentum, quo illinatur locus. Tacamahaca singulare quid possidere contra Podagram dicitur, juxta illud Poetæ:

Indomitam lenit tacamahaca Podagram.

§. XLVIII.

Stricturam nunquam indicari existimamus, nisi in principio mali pars affecta nimis laxa fuerit, in hoc casu præstat illam pannis laneis, *vulgo flenel*, fumo succini, mastichis, thuris accensi imbutis fricare, frictionem pro re nata repetere.

§. XLIX.

Interna medicamenta sparsim indicavimus, præcipua cura

in

in convenienti diæta verſatur *Cum ego olim*, inquit *Sennertus*, *articulorum doloribus vexarer*, *& varios de ea re legerem Auctores*, *in eo omnes conſentire animadverti*, *in Arthritidis curatione plus ſpei in bona diæta*, *quam in medicamentis ponendum eſſe.* Specificum ignoratur, cognitæ cauſæ oppoſitum optimum. Arcanum corallinum Paracelſi ab Helmontio repetitum neſcimus.

§. L.

Duæ tantum ſunt indicationes, 1°. reſtitutio viſcerum labefactorum in integrum, 2°. ablatio liquidi corrupti fluentis in vaſis, vel ſtagnantis ad loca. Vid. Boerh. *Aph.* 1274. quibus, & quo modo hæc duo præſtari poſſunt, præclare Auctor in ſequentibus Aphoriſmis abſolvit, ad quem L. B. remittimus, iis cum nil addere adhuc ſciam, ſpem Archiatro ſupremo omnis ſalutis Auctori committo, qui conſilia, rationem, & experientias meas dignetur dirigere in ſui gloriam, ægrorum ſolamen, & Artis, quam miſericors hominum infirmitati conceſſit, honorem.

F I N I S.



CO.



COROLLARIA.

I.

Rheumatiſmus ad Cacochymiam; Arthritis ad Febres intermittentes pertinet.

II.

Omnis fere Arthritis fit metaptoſi.

III.

Conſideranda eſt ut criſis Rheumatiſmi aut febrium ſive intermittentium, ſive continuarum metaſtatice ex parte aut integre ſolutarum.

IV.

Nec hæreditaria hic excipienda.

V.

Hæc ſupponit Cacochymiam Rheumaticam, canaliumque anguſtiam ſingularem, debilitatem.

VI.

Character Podagricus Helmontianus ſupponit prædicta omnia.

VII.

Bacchus & Venus confœderati potentissimi sunt tam ad inducendum, quam ad curandum hunc affectum.

VIII.

- - - - - - - - data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

IX.

Idem de opio verum, sive interne, sive externe adhibitum.

X.

Ars cum natura sanat, contra eam agendo nocet.

XI.

Natura, quid Medico agendum, monstrat.

XII.

Cognita ejus intentio felicem facit Medicum.

XIII.

Saluberrima medicatio est illa, quæ fit sine offensione. Horstius ex Fernelio; Hic ex Hippocrate; Hippocrates ex judicio naturæ, cujus præcepta sunt recte agere, neminem lædere.